

turam G, Sardinia ditoni E, ut induat, necessarium duxit, ut trias harmonica * adesset ad futuram symphoniam, quae nunc ita canit, ut huius harmoniae toni totum iam terrarum orbem perforant

VII

Hi toni c, e, g, clam atque insciente fere diapason, sub quo nomine AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM semper intelligimus, compositi, iureiurando se inuicem obstrinxerunt, ne alter ab altero discederet, sed ut potius omnibus uiribus contra illorum diapason, id quod lingua latina, supra omnes eminens, denotat, canerent. Harmonia autem, quam foederati hostes composuere, non ita audietur, ac sibi illi proposuerunt. Decreuerunt enim ita contra AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM, modulari, ut illi plane ex modo naturali C duro in modum H durum descendendum sit, inque illo clausulam quaerere finalem animum induxerunt. Finis et exitus autem alia nos docebit.

VIII

Pacis temporibus erat harmonia, ut num. I. Foederati autem uidentes, Caesarem semper, maiorum more, sine fuce, atque adscititio colore, nullis adhibitis signis, neque cancellato, neque quadrato, neque rotundo, canere, decreue-

B 2

runt

* *Perfectissimus triadis harmonicae tonus semper est fundamentum, seu infimus tonus, nostra in Triade C. Et quod Gallia potentior, quam Hispania, iure, nostra in Triade, fundamentum diximus Galliam. Diapente porro perfectior, quam ditonum, quam ob causam Hispaniam tonum G, Sardiniam E, denotare uoluimus. Et haec Trias Foederatorum multis in rebus cum triade harmonica conuenit.*